

T E R R I T O R I U M  
P A T A V I N U M,  
vulgo  
I L P A D O A N O.

Termini.



Escribitur ager Patavinus apud Bernardinum Scardeonium his terminis : A meridie Athesis fluvius procurrit : à septentrione Muso amnis parvus dilabitur ; ab oriente æstuarium Venetiarum ; ab occi-

dente vero colles sunt Euganei & ager Vicentinus. Patet omnis hic circuitus CLXXX P. M. in quo sexcentæ & quadraginta septem villæ seu pagi, & quæ sequuntur. Ager Patavinus est amœnissimus, frumenti, & variorum fructuum fertilis, tantamque tritici copiam fundit, ut summam mereatur admirationem, vini etiam generosissimi ferax, unde Martialis :

*Pictaque pampineis Euganea arva jugis.*

Venationibus insuper, aucupii & piscationibus frequens. Nitet undique regio hæc pagis, vicis, & villis ornatissimis, quæ fere sunt patriciorum Venetorum, qui mensibus æstivis rurplerumque cum familiis agunt. Mirabilem rerum omnium copiam incolæ triviali celebrant proverbio : *Bologna la grassa, Padoua la passa.* Dicere solitus scribitur ab Cælio Rhodigino Constantinus Palæologus ; nisi sciret à sanctissimis viris affirmari, in oriente Paradisum esse, arbitrari se, non alibi eum reperiri posse, quam in persuavi Patavina amœnitate.

Flumina.

Flumina quæ territorium Patavinum secant, præcipua sunt Bacchilio & Brenta ; quæ utraque olim Meduaci nomen habuere. Brenta x mill. sub Tridento nascitur & ad agrum Vicentinum præcipiti cursu delatus, relicto ad sinistram Bassano, agrum ingreditur Patavinum, & v mill. infra Patavium se dividit ; & dextra parte cum Bacchilione se conjungit, sinistra autem cursum suum aliquandiu servans versus meridiem, postquam magno strepitu se præcipitaverit, convertitur ad orientem, & duobus aliis amniculis Lavandola & Tergola auctus, ad pagum Stracum cum Bachilione se denuo conjungit ; rursusque juxta Dolum vicum divisus, dextro ramo versus meridiem labitur, & prope villam Conche à Bachilione exceptus juxta Chioggiam in mare Adriaticum effunditur ; sinistro vero Miram, Oriacum & Moranzanum stringens, tandem in portum

Italia.

Brondulum illabitur. Bacchilio haud procul Vicentia enatus ; eamque secans, aliquot amnisbus auctus vi mill. sub Vicentia se dividit in duos ramos, quorum dexter ad vallem Estensem fertur, sinister ad territorium Patavinum se convertens, illud intrat juxta montem Galdam, & paulo post cum Brenta, uti diximus, conjungitur : sed non longo inde spatio rursus dividitur in duos ramos, quorum dexter Patavinum agrum rigans, & juxta Bartagliam cum dextro ramo suo reunitus præcipiti cursu tendit Bovolentam ; sinister autem antiqua urbis circumdat mœnia & in plures alveos disiectus, extra urbem reunitur, rursusque juxta Porcigiam se separat in duos ramos, quorum dexter Bovolentæ cum superiore conjungitur, & paulo infra cum cæteris ramis conjunctus Pontem longum, Corregivolam, & Brentæ pagum præterlabens cum Brentæ ramo conjungitur qui à Dolo descendit : sinister vero muros novæ urbis complexus, demum per fossam à Patavinis factam in majorem Brentæ ramum illabitur, & cum illo fertur ad Dolum, ubi rursus dividuntur ut supr. Paulus Paruta in Hist. Venet. scribit hanc agri Patavini partem quæ versus Chioggiam & mare inclinat, longe fertilissimam esse, & incolis frequentissimam ; in eaque reperiri vicum Bovolentam, adversus subitos hostium incursum satis securum, quippe fluvium Bacchilionem, in territorio Vicentino natum, postquam ad Bassanellum xi mill. supra Patavium pervenit, & Brentæ aquarum accessu auctus fuit, in diversa ferri, & variis & tortuosis flexibus per agrum Patavinum delapsus, grandi spatio in medio relicto, juxta hunc vicum rursus conjungi : atque hic quondam castellum fuisse, insigne adversus hostes præsidium. Quid multa ? Ager Patavinus ob flumina & lacus neque hostibus accessu facilis, & adversus subitos motus satis munitus judicatur.

*Patavium* civitas antiquissima, flos & decus urbium, quascunque tellus Itala continet, quæ hodie PADVA ; nomen habet, ut quidam putant à *Padi* vel *Paludum* vicinitate, sicque dictum quasi *Padavium*. Alii dicitur à *petendo*, ab *volando*, derivant, quod capio augurio fuerit condita : nonnulli à *petendo*, quod avem Antenor, urbis, ut ita dicam, conditor, telo petiverit : Incertis omnes conjecturis. Condidisse memoratur *Antenor*, Troja profugus, apud Virgilium

L. I

lib.